DE EMENDANDA ET EXPLICANDA CICERONIS ORATIONE PRO MURENA.

Praestantissimae orationis, qua M. Cicero consul consulem designatum L. Murenam ambitus reum defendit, exemplum quod ex antiquitate solum supererat, Poggius Florentinus initio saeculi XV in Gallia detexit et secum in patriam tulit. Ex illo libro non optime scripto nec melioribus adnumerando descripti sunt multi codices, quorum alii superioribus editoribus ad manus fuerunt, alii nuper excussi sunt. Indicantur a Car. Halmio in nova recensione editionis Orellianae omnium operum Tullianorum Vol. II. p. 716. coll. Praefat. p. iii et vii., idemque primus scripturae varietatem ex optimis accurate notavit et verba orationis ad fidem librorum scriptorum recognovit, qua in re etiam post recensionem Io. Bapt. Steinmetzii *Moguntiaci* a. 1832 editam aliquid faciendum restabat. Nam Orellius, vir optime de Cicerone meritus, quum hanc orationem anno 1826 ederet, novis subsidiis criticis destitutus erat et superiorum vestigiis insistere debebat. Brevi post Niebuhrius manifestis exemplis demonstravit, quam foede haec oratio interpolata esset, quum in volumine primo *Musei Rhenani* e copiis Lagomarsinianis, quas Romae ipse inspexerat, plane egregias emendationes in § 25, 32, 66 depromeret, et incertam multorum locorum fidem ostenderet. Vid. repetitio illius disputationis in Niebuhrii *Opusc. histor. et philol.* II. p. 213—223. Madvigius quoque in *Opusc. Acad.* Vol. II. p. 368 seqq. non-

nullos eius locos ea, quam omnes norunt et admirantur, prudentia et summo ingenii acumine persanavit. Sed nunc demum HALMII opera res eo adducta est, ut plurima menda certius reperiri et vel e codicibus vel probabili coniectura tolli possint. Itaque prodiit oratio pro Murena ab HALMIO passim correcta, cuius recensionem cum Orelliana comparans vidi paucas esse paragraphos, in quibus nihil omnino mutatum esset.

Atque plerumque HALMIUM vel quos ille auctores secutus est, verum vidisse iudicamus; in paucis id, quod ORELLIUS dederat, praestare videtur. Exempli causa pauca indicabo. § 34 H. e libris scriptis *arbitraretur* revocavit, OR. cum LAMBINO correxit *arbitraremur*. Quum autem CICERO nunquam hoc verbo passive usus esse videatur (*Verr.* V. § 106. cod. Regius dat: »quum ipse praed. socius *arbitraretur*," at Palimps. Vat. *putaretur*) tutius erat unam literam mutare, quam cum KAIJSERO in *Add.* p. 1448 suspicari in iis quae praecedunt »cu»ius — vita tanti *existimata est*" periisse *a Pompeio.* § 51, ubi Catilinae audax dictum affertur, OR. rectius dedit »*quum* »ita de se meritum esset," quod nunc in cod. Monac. repertum est, quam H. e plurimis aliis »*si* ita de se meritum »esset." Neque enim ille dubitabat, sed quod factum erat affirmabat. In § 65 »Nihil gratiae *causa feceris*" propius accedit ad librorum ductus, qui habent »N. g. *cum feceris*" vel *confeceris*, quam quod H. edidit: »Nihil gratiae *causa cesseris*." (Compendiorum similitudo explicat, qui *causa* in *cum* corrumpi potuerit. Sed fortasse praestat, quod Iuntina habet »nihil »gratiae *concesseris*"). In § 73 recentissimus editor obtemperavit Mss., qui »*locum suum gladiatorium*" a virgine Vestali Murenae concessum referunt. *Locus gladiatorius* eodem nomine mihi suspectus est, quo *consessus gladiatorii* in *Sestianae* § 115 et 124 fuerunt BAKIO *Schol. Hypomn.* I. p. 125. Sed etiamsi illa coniunctio Romanis concedatur, tamen propter verba Scti in § 67 allata retinendum est, quod URSINUS et LAMBINUS dederunt *gladiatoribus*. — Addam unum locum, qui est § 89 extr., ubi quum OR. edidisset »repente *eo accedat*," H. de GULIELMII coniectura scripsit »repente *exsistet*." Optimi codd. dant »re»pente *excidet*," in quo latere puto »repente *eo accidet*," ab OR. in adnot. critica satis defensum. Miramur autem neu-

trum in iis, quae proxime illa verba praecedunt, vidisse non ferendum esse »celebrassent — *concurrerint*," scribendumque *concurrerent* quod H. e tribus libris notavit.

Orationem foede interpolatam non temere diximus. Certissimae sunt interpolationes verborum, quae in nullo codice scripto reperiuntur, sed quae editor aliquis desiderari non posse existimavit, deinde sequentes nullam fraudem suspicati ut genuina propagarunt. Ex hoc genere duo illustria exempla suppeditant § 9 et 86. Quo loco orator Servio Sulpicio probat se defensione Murenae suscepta non laedere amicitiam, haec dixisse putabatur: »noli tam iniustus esse, ut cum tui *fontes* »vel inimicis tuis pateant, nostros *rivulos* etiam amicis putes »clausos esse oportere." Ironiae hic non erat locus. Si autem CICERO consul summaque florens eloquentiae fama serio suos *rivulos* Servii *fontibus* opposuisset, nec iudices nec ipse Servius hominem tam inepte modestum laudavisset. Sed non fecit. Nullus liber scriptus tuetur *rivulos*. — Alter locus epilogi est. Ibi Murena depingitur § 86 »Squalore *et sordibus* confectus, »lacrimis et maerore perditus." Quum in paucis deterioribus libris *sordidus* scriptum, *et* omissum esset, editores hoc arripuerunt et quum paulo ante eiusdem mentio facta esset »cum »corporis morbo tum animi dolore confecti" veram TULLII manum sibi restituisse visi sunt edendo: »*Squalore sordidus, con*»*fectus morbo*, lacrimis *ac* maerore perditus." HALMIUS, ut ante eum STEINMETZIUS, utroque loco codices secutus est, aut omnes aut plures et meliores.

Idem sex aliis locis § 11, 12, 14, 32, 58, 73 (nam de § 47, ubi edidit [*haec*] *quis tulit* postea sententiam mutavit in *Addendis*) obtemperavit auctoritati unius libri Helmstadiensis, quem G. notavit. Etsi ingens numerus vocabulorum in illo codice omissorum arguit librarii negligentiam, tamen recte id illis locis factum esse defendimus et tribus praeterea locis in illo libro aliquid recte abesse iudicamus. In § 47 haec legimus: »Idem editicios iudices esse voluisti, ut odia *occulta* civium, »quae *tacitis* nunc discordiis continentur, in fortunas optimi »cuiusque erumperent." In G. non additur *occulta*, eoque libenter liberabimus orationem. Nam odia, quae tacitis discordiis continentur, non alia sunt quam odia occulta. — § 9 OR.

secutus codd. scripsit: »Si nulla inertiae, nulla superbiae turpitudo, nulla inhumanitatis culpa suscipitur," H. concinnitatem desiderans recepit LAMBINI coniecturam: »si nulla inertiae »*nota* cet." Propter similitudinem cum seq. *nulla* facilius etiam *macula* quam *nota* intercidere potuit; sed nobis potius aliquid abundare quam deesse videtur, nititurque hoc iudicium conformationi sententiae contrariae: »sin autem fuga laboris »desidiam, repudiatio supplicum superbiam, amicorum ne»glectio improbitatem coarguit." Qui in hoc membro sententiae uno verbo *coarguit* contentus fuit, cur in illo tribus nominibus dixisset, quod una *culpa* optime designaret? Nihil itaque addendum, sed voc. *turpitudo* expungendum censeo. — Capitis 29 initium plerique editores post CRATANDRUM hoc faciunt: »Ego tuum consilium, Cato, — vituperare *non audeo*; »*nonnulla in re* forsitan conformare et leviter emendare pos»sim." Laudo HALMIUM, quod cum STEINMETZIO abiecit *in re* idonea auctoritate destituta, non laudo quod pro verbis *non audeo*, in nullo codice visis, e paucis scripsit *non possum*. Quod in plerisque hic verbum deest, apertum indicium est iam in archetypo defuisse. Probabilius autem est ante *nonnulla* periisse *nolo*, quam *non possum*, oriturque sic oratio vere Tulliana: »Ego — vituperare *nolo; nonnulla* forsitan conformare — »possim."

Sed si unus rivulus ceteris purior ad nos pervenit, nemo tamen putet se aquam puram inde haurire posse, siquidem ipse fons, unde nostri rivuli derivantur, iam multas sordes continebat. Operae pretium facturus mihi videor, si earum partem secernam et diluam. Qua in re hunc ordinem servabo, ut primum nonnullos locos indicem, in quibus a grammaticis perspicuitatis causa, ut putabant, aliquid additum esse videatur, tum locos peius inquinatos pristino nitori restituere studeam.

In eo loco orationis, ubi agitur de generis novitate, CICERO negat eam viris fortibus obiiciendam esse, »qui non modo Cu»riis, Catonibus, Pompeiis, antiquis illis fortissimis viris, *no»vis hominibus*, sed his recentibus Mariis et Didiis et Caeliis »commemorandis iacebant" § 17. Expunge otiosum illud *novis hominibus*. — In § 22 aequalitas membrorum suadet, ut

CICERONEM scripsisse censeam: »tu actionem, ille aciem in»struit: tu caves ne tui consultores, ille ne urbes aut castra »capiantur: ille tenet ut hostium copiae, tu ut aquae pluviae »arceantur: ille *exercitatus est* in propagandis finibus, tu in »regendis." Duo in his verbis correxi. Initio omnes dant: *tu actionem instituis* (ex uno cod. Oxon. notatur *instruis*). Verum instituere actionem non erat Icti, sed actoris s. petitoris, a quo fiebat in ipso initio eorum, quae in iure agerentur. Vid. *Instit.* IUST. IV. 16, 3 cum adnot. SCHRADERI. Quare etiam in *Phil.* IX. 11, ubi idem ille Servius laudatur, quod non »*instituere litium actiones* malebat, quam controversias tol»lere," necessario scribendum est *instruere.* Nam Icti erat *instruere*, id est munire actionem. CIC. *p. Cluent.* § 18, ubi pro vero *instruitur* in uno libro repertum est *instituitur.* In tertio membro post *ille tenet* inepte additur *et scit*, quasi verbum *tenendi* intelligendi et sciendi vi positum per se parum notum fuisset. In ultimo *exercitatus est* placet prae eo, quod nonnulli codices Mss. QUINCTILIANI habent *I. O.* IX. 3, 39, *exercitatur*, quoniam *exercitari* est tironis, non eius, quem *rei militaris gloria* commendat.

Ne disputatio nostra longior evadat neve iudicio eorum, qui haec legent, diffidere videar, argumenta reticebo, quare in § 24 non *dicendi facultas*, sed tantum *facultas*, in § 46 non *accusationem et petitionem consulatus* a CICERONE scriptum, sed *consulatus* alia manu additum iudicem, et cur initio § 34 nihil genuinum mihi videatur praeter haec: »Hoc dico: si bellum »hoc contemnendum fuisset," quae obscurantur additis post *bellum hoc* verbis: *si hic hostis, si ille rex.* In § 47 CICERO quaerit: »Quid ergo? haec quis tulit?" respondetque: »Is qui »auctoritati senatus, voluntati tuae paruit, *denique is*, cui minime »proderant." Nihil erat, quod in altero membro scriberet, quod scripsisse existimatur *denique is tulit*, cet. — In § 40 duo emblemata iam ab aliis indicata sunt, sed in eiusmodi scriptis, quae non solent in multorum manus pervenire. Itaque inventoribus ipsis non molestum fore puto, si hic denuo cum pluribus communicantur. Mentione facta L. Othonis, qui equestri ordini restituerat dignitatem et voluptatem, omnes intelligebant verba: »Itaque lex haec est omnium gratissima," nec erat, quod CI-

CERO in re recenti adderet: *quae ad ludos pertinet.* Nec magis his: »Quare delectant homines, mihi crede, ludi etiam illos, »qui dissimulant" ἐκ περιουσίας ab eleganti scriptore addi debent illa *non solum eos, qui fatentur.* — Aegre ferimus molestam repetitionem vv. *in campum* § 52, ubi quum in protasi dixisset: »quod homines — *in campum* deduci a Cati»lina sciebam," non dubitamus quin in apodosi dederit: »de»scendi cum firmissimo praesidio," non »*descendi in cam»pum.*" Nam simplex *descendere* in urbe eam vim habebat, ut de foro aut de campo, de planis locis urbis, cogitaretur. Vid. BENTL. *ad Hor. Ep.* I. 20, 5. — In § 68 abiicienda sunt verba *candidato consulari*, quae non modo otiosa sunt, sed menti dicentis aperte adversantur. — Male sedulum adnotatorem RINKESIUS meus deprehendit quoque in § 70, ubi aliquis verbis »ut suos necessarios sectentur totos dies" vim verbi *sectandi* non adsecutus interposuit *candidatos*, vid. S. H. RINKES *disp. de crimine ambitus* p. 6. adn. 10. Iisdem in verbis, ut obiter hoc moneam, HALMIUS debuerat potius retinere e codicibus fere omnibus *aut sectentur* eisque asteriscum praefigere, quam cum KLOTZIO scribere *adsectentur.* — In § 62 extr., ubi Stoicus loquens inducitur, *inquit* bis temere illatum videtur et dubitare licet, an CICERO in § 89 praeter morem suum *Galliam Transalpinam* vocarit provinciam, quae simpliciter Gallia appellari solet, vel *Gallia ulterior*, ut a *citeriore* distinguatur. Cf. CIC. *Inv.* II. § 111. SAL. *Cat.* 42. Sine ulla vero dubitatione affirmaverim ea, quae leguntur § 84: »Di faxint, ut — ego toga»tus — hoc quod conceptum respublica *periculum* parturit, con»silio discutiam et comprimam" interpolatione esse inquinata. Nam vox *periculi* lenior est, quam quae hic a CICERONE profecta sit, et metaphoram a muliere praegnante ductam male premit. Quemadmodum orator in *Phil.* II. extr. dixit: »ut »aliquando dolor populi Romani pariat, quod iamdiu parturit," sic h. l. scripsit: »hoc quod conceptum resp. parturit." *Conceptum* retineo, qui sciam Romanos partum recens editum libenter designasse verbis *id quod natum est.* Cf. GRONOVII *Lect. Plaut.* p. 14 sq.

Bis error e prava alicuius vocabuli geminatione ortus facit oratorem insolenter loquentem. In § 46 OR. et H. sine cor-

ruptelae suspicione edunt: »Tu, cum *te de* curriculo petitio»nis deflexisses animumque ad accusandum transtulisses, *exi»stimasti te* utrique negotio satis facere posse? Vehementer er»rasti." CICERO dicit *deflectere de* (*ab*) *aliquo* non *deflectere se*, vid. *Tusc.* V. § 80. *Lael.* § 40. *Off.* II. § 9. Ergo *te*, quod STEINM. abesse posse fatetur, omnino delendum. In eodem loco forma orationis non refert Tullianum colorem, quem amissum reparabis scribendo: »Tu, quum — transtulisses, *existimans* »te — posse, vehementer errasti," vel etiam *existimasti* retineri poterit, et verba sic corrigi: — »satis facere posse, *sed* »vehementer errasti." — In § 78 obtemperandum est libris, qui pro »*Intus, intus*, inquam, est equus Troianus" semel habent *intus*. Nam id quod satis intelligitur intus esse equum Troianum, addito *inquam* apertius declaratur. Vid. quae MADVIGIUS *O. A.* I. p. 157 sq. et 453 de prava duplicatione vocabulorum ante *inquam* monuit.

Pergo ad locos, in quibus haec oratio mala grammaticorum sedulitate aliquam labem contraxit. Scire velim, quomodo viri docti, qui eam recognoverunt edendamque sibi sumpserunt, concoquere potuerint § 11 hanc sententiam: »An cum sedere »in equis triumphantium praetextati potissimum filii soleant, »huic donis militaribus *patris triumphum decorare* fugiendum »fuit, *ut* rebus communiter gestis paene simul cum patre »triumpharet?" (in extrema parte HALMIUS, quum e cod. M. edidisset *ne rebus*, postea rediit ad alteram scripturam ORELLIO probatam et in cod. G. a se repertam *ut rebus*. Vid. *Add.* p. 1448). Mihi quidem vehementer displicet contorta constructio, atque *patris triumphum decorare* et *paene simul cum patre triumphare* re non ita diversa existimo, ut recte in una sententia coniungantur. Ne multa, locum sic scribo: »An, »cum — soleant, huic donis militaribus *decorato* fugiendum »fuit, *ne* — paene simul cum patre triumpharet?" Aptissime *filiis praetextatis* opponitur *huic donis militaribus*, hasta pura, phaleris, aliis *decoratus*. Part. autem *ne* post *fugio* non minus recte poni videtur, quam post *teneo me, tempero, caveo* sim. — In alia parte orationis CICERO affert nonnulla Stoicorum decreta, singulisque suam sententiam opponit mitiorem. In iis est § 65: »Misericordia commotus ne sis. Etiam in dissolvenda severitate

»*sed tamen est* laus aliqua humanitatis." Quum neque aliorum, neque RAVII *Var. Lect.* II. p. 77 aut HALMII *Add.* p. 1449 coniecturis verba persanata sint, quid mihi verius videatur proponam. Scribo: »Etiam, in dissolvenda severitate *est tamen* »laus aliqua humanitatis." Non libenter abiiciam *etiam*, quod, ut *vero* in sequenti membro, est concedentis dicti veritatem. Ceteris verbis illa veritas paululum mitigatur. — Desinam de hoc genere disputare, postquam attigero locum, cuius HALMIUS merito sententiam vocat subobscuram. CICERO, recitatis iis, quae senatus contra ambitum in civitate flagrantem decernenda censuisset, ita disputat § 67: »Ergo ita senatus *si* iudicat, »contra legem facta haec videri, si facta sint, decernit, quod »nihil opus est, dum candidatis morem gerit. Nam factum sit »necne, vehementer quaeritur: si factum *est*, quin contra le»gem sit dubitare nemo potest. Est igitur ridiculum, quod »est dubium id relinquere incertum: quod nemini dubium po»test esse, id *iudicare. Atque id decernitur omnibus postulan»tibus candidatis: ut ex senatus consulto neque cuius intersit, »neque contra quem sit, intelligi possit.* Quare doce ab L. Mu»rena illa esse commissa, tum egomet tibi contra legem com»missa concedam." Verba accurate descripsi e recensione HALMII, qui bis merito discedit ab ORELLIO (»ita *senatus iudicat* — »si factum *sit*, quin cet."). Reliquit leve vitium in verbis: »Est ridiculum — id *iudicare.*" Nam ut ea, quae praecedunt non ad Sctum, sed ad hanc causam referenda sunt, sic his verbis non quid senatus censuerit, sed quid Cato omiserit et fecerit explicatur. Atqui accusatoris non erat *iudicare*, sed *indicare*, et CICERO dicit ridiculum, si ille relinqueret incertum, factum esset necne, indicaret autem contra legem esse, si factum esset. Sed restat aliud in hoc loco observandum. REINIUS ab HALMIO citatus acute vidit postulantibus candidatis Scto addita esse verba *si facta sunt*, eoque additamento paene supervacaneo CICERONEM uti adversus Catonem, sed non attigit ea, quae mihi quidem visum offuscant. Etenim non video, qua ratione defendam verba: »*Atque id decernitur — intelligi »possit.*" Iis nihil continetur, quod non inest in illis: »Sena»tus — decernit — dum candidatis morem gerit," atque argumentatio male interrumpitur. At iis sublatis omnia bene

cohaerent et tota disputatio id agit, ut Cato ad incitas redigatur. Suspicor igitur illa omnia ab homine non indocto explicandi causa in margine adscripta esse et alieno loco inter oratoris verba recepta.

Rarius in hac oratione peccatum est omissionis vitio, velut in § 6, ubi MOMMSENUS occupavit, quod mihi quoque in mentem venerat: »Negat (*Cato*) esse eiusdem severitatis;" in § 9 ubi cum KAIJSERO mihi convenit verbis »quem contra veneris" addendum esse adverbium *antea* vel *ante*; in § 11, ubi concinnitas postulat, ut cum LAMBINO scribatur: »aut patris imperium timuisse aut a parente repudiatus (*esse*) videretur." Idem intellexit in § 36 extr. CICERONEM scripsisse: »in hac »comitiorum tempestate populari saepe intelligas quo signo »commota sit, saepe ita obscura (*causa*) est, cet." Tempestas ipsa nunquam obscura est, saepe latet tempestatis causa. — Atque si oratio mihi edenda esset, non dubitanter reciperem supplementum initio § 87: »Nolite — hac eum (*cum*) re — »etiam ceteris ante partis honestatibus — privare." Nudo ablativo *hac re* pessime hic causalis vis tribuitur, ut sit i. q. *propter hanc rem*, et vix a v. *privare* non suspensus videri potest. Atque ablativi diversi generis uni verbo non solent apponi, nisi quando nulla inde oritur ambiguitas, ut in hac ipsa oratione § 23. Cf. MADV. *Gr. Lat.* § 302. — His ab aliis observatis, sed nondum ab editoribus receptis addam unum locum, in quo vereor ne litera omissa faciat CICERONEM insolite loquentem. Memoratur Sctum, »quod est L. Caesare consule »factum," § 71. Si anni indicium est, non debet abesse alterius consulis C. Figuli nomen; sin designandus est consul, quo referente sit factum, requiritur »quod est *a* L. Caesare »consule factum." Nam consul Sctum fecisse dici potest. Vid. BECKERI *Antiq. Rom.* II, 2 p. 443.

Lubet nunc mihi percurrere orationem et e commentariis meis depromere, quae aliquot partibus aegris opem ferent aut ad opem ferendam alios fortasse excitabunt.

Initium orationis in codd. Mss. sic legitur: »*Quae deprecatus* a dis immortalibus sum — eadem precor ab iisdem dis »immortalibus cet." Multi viderunt auctoritate QUINCTILIANI, qui *I. O.* IX. 4, 107 prima verba citavit, corrigendum esse *pre-*

catus (ut paulo post: »idem ego sum *precatus*"), sed miramur neminem ex eodem fonte repetiisse *Quod precatus.* Nam etsi forte illa solemnis comitiorum precatio plura continuerit, hic tamen una sola res affertur, »ut *ea res* mihi fidei magistra»tuique meo populo plebique Romanae bene atque feliciter eve»niret." Quum verba *Quod precatus* abiissent in *Quae deprecatus* reliqua iis adaptata sunt et pro *idem precor* scribi debuit: *eadem precor.* CICERO autem non solum nunc superiores illas preces repetit, sed duo addit, primum ut iudices Murenam salvum velint, tum ut id prosit reipublicae. Quae adiecit »ob eiusdem hominis consulatum una cum salute obtinen»dum" causam continent, qua re solemnem illam formulam repetat, et sic debent explicari: »ut (ὅπως) ego eiusdem homi»nis consulatum una cum salute obtineam."

§ 2. — »idem *consul eum* vestrae fidei commendat, qui an»tea dis immortalibus commendavit." Scribendum censeo: »idem »*consulem* v. f. cet.," quoniam non tam opus est ut hoc dicat, Murenam a se consule, quam consulem nunc iudicibus, ut olim dis, commendari, et, si omnino illud dicere voluisset, saltem hominem praesentem *hunc* vocasset. Eum vero qui designatus esset, recte consulem vocari satis ostendunt haec e § 3: »A quo — est aequius consulem defendi quam a »consule?"

Prudenter HALMIUS in § 3 verbis *una traditur* mendi indicium praeposuit, nullius correctionem dignam iudicavit, quam reciperet. Locum describam: »Quis mihi in republica potest »aut debet esse coniunctior, quam is, cui respublica *a me una* »traditur sustinenda," ut repellam KAIJSERI suspiciones, qui pro *una* coniecit *manu* vel *per manus.* Vid. *Addenda* ed. nov. p. 1448. Nam neque in simplici *manu* est ea vis, quam habet locutio *de manu in manum, Fam.* VII. 5, 3, neque *per manus* hic dici potest, quia consulatum inter se per manus tradere, quod legimus in SALUSTII *Iug.* 63 extr. ab hoc loco plane alienum est. Magis arridet HULLEMANNI mei coniectura, qui pro *a me una* corrigendum putat *mea manu;* quamquam requiritur fere temporis non remoti indicium, *iam*, *mox*, *brevi.* Sed certe opus est futuro *tradetur*, quoniam CICERO Kal. Ian. demum munere erat abiturus, quare § 80 vere dicit: »nolite

»adimere eum, cui remp. *cupio tradere* incolumem."

In contentione dignitatis § 15 summa cum tribuisset ornamenta Servio Sulpicio, paria inveniri in Murena affirmat, »at»que ita paria, ut neque *ipse* dignitate vinci potuerit, neque »te dignitate superarit." In his *ipse*, quod plane otiosum est, conflatum puto ex *abs te*. Tullianum habebis, si ita scripseris: »ut neque *abs te* dignitate vinci potuerit, neque te digni»tate superarit." Paene contrario vitio laborant haec in § 73: »in quibus tamen Murena ab senatus auctoritate defenditur." HALMIUS morem gessit ERNESTO molestam praepositionem delenti. Ego scribo »*ipsa* senatus auctoritate," nec est, quod ostendam, quantam vim quamque opportune pronomen illud sententiae addat.

Nunc mihi res erit cum Iureconsultis, qui patienter ferunt praetorem in fundi vindicatione haec verba pronuntiantem: »Suis »utrisque superstitibus praesentibus istam viam »dico," § 26. Cf. KELLER, *der röm. Civilprocess*, *Leipz*. 1852. p. 62. Doceri velim, quae sententia ex illa formula elici possit, quae non contorta sit et abhorrens a prisci aevi simplicitate. Equidem nullam video. Sermonis antiquitas multa excuset in eiusmodi formulis; sed non habet tantam religionem, ut praetorem malis inepte loquentem audire, quam subvenire ei, qui toties aliis subvenerit. Dixit, opinor: »*Reis* utrisque sup. »praes. istam viam dico," iubetque utrumque reum i. e. petitorem et eum, unde petitur, viam ire cum testibus. Eos enim tum appellabant *superstites*. FESTUS p. 305 MULL. Utrumque litigantem *reum* appellari docent testimonium certum Aelii Galli apud FESTUM p. 273 v. *Reus*, coll. ibid. p. 289 et haec verba PAULI in *Exc*. FESTI p. 38: »Contestari est, quum uter»que *reus* dicit cet." Cf. CIC. *de Orat*. III. § 321. Cupio hanc correctionem assensum esse laturam Icti literatissimi PH. ED. HUSCHKII, qui nuper in libro, quo studia Gaiana egregie promovit, alium huius orationis locum feliciter tentavit. Qui libro utuntur, inspiciant pag. 221 adn 56; ceteri sciant pro eo, quod legitur in § 28: »Difficilis autem res *ideo non* puta»tur, quod et perpaucis et minime obscuris literis continetur." HUSCHKIUM velle: »Difficilis — *ideone* putatur, quod — conti»netur?"

In § 34 novissimus editor recepit, quod plurimi Mss. libri offerunt: »neque vero eius belli conficiendum *exitum* tanto stu- »dio populus Romanus ad Cn. Pompeium detulisset." Sed Latinum puto esse *conficere bellum*, non *exitum belli*. Itaque melius est, quod post LAMB. multis placuit »belli conficiendi »*curam*," sed pressius plurimorum librorum vestigiis insistens coniicio in codice archetypo fuisse »belli conficiendi *nego-* »*tium*." — In seq. § nonnihil molestiae creant verba: »*totam* »opinionem parva nonnunquam commutat aura rumoris." Fieri potest, ut totius populi opinio, omnium opinio dicatur *tota opinio*, etsi exempla non suppeditant, sed aliud hic desidero, quod suspicionis dubiae, opinionis levis contrarium est. Hoc autem reddes CICERONI scribendo *certam opinionem* i. e. id quod multi certo futurum putabant.

Quod vulgabatur in § 49 »observationes, testificationes, se- »ductiones testium, secessionem subscriptorum animadvertebant, »quibus rebus *certe ipsi candidatorum vultus obscuriores vi-* »*deri solent*" perversam continere sententiam et *vultus* interpolatori deberi MADVIGIUS docuit *O. A.* II. 373 locum aliis restituendum relinquens. Codices fere conspirant in his: — »quibus rebus *certe ipsi candidatorum obscurior ei videri solet*," unde KLOTZIUS haec extricavit: »quibus rebus *esse ipsi candi-* »*dato obscurior spes videri solet*." Ita oritur bona sententia, sed longius a scriptura tradita receditur. Leniori correctione res agi poterat: »quibus rebus *certe spes candidatorum obscu-* »*rior exhiberi solet*." Ad confirmandam hanc coniecturam duo afferam. Primum *ipsi* et *spes* facile commutari posse ostendit, quod in § 32 codd. habent »tantum *ipse* conatuque," ubi HALMIUS recte de KLOTZII coni. scripsit »tantum *spe* conatuque." Verbum autem *exhiberi* recte ponitur pro *ostendi*. Nam, ut tradit ULPIANUS in l. 3. § 8 *Dig. de hom. lib. exhib.*, proprie est extra secretum habere, in publicum producere, videndi tangendique facultatem praebere. Sic usurpatur *Acad.* I. § 18 »philosophiam professus sum populo nostro *exhibiturum*."

In § 51 liber Mon. tuetur, quod OR. ediderat »*Tum* erupit »e senatu." Sed aliam particulam in suo exemplo invenerant librarii codicum G. et E. Alter pro *tum* scripsit *que*, alter *qui*. Propterea H. MOMMSENI iussu edidit »*Atque*." Malim re-

vocare particulam conclusivam »*Itaque.*"

E PLUTARCHI *vita Cic.* 14 et DIONE XXXVII. 29 novimus consulem τεθωρακισμένον interfuisse comitiis consularibus. CICERO ipse, qui saepius se tum praesidio amicorum tectum fuisse narrat, hic addit se descendisse in campum »cum illa *lata* »*insignique* lorica" § 52. Rem ipsam nemo sanus in dubium vocabit; verba me sollicitant. Quid enim? nonne *lata* mirum tibi videtur loricae epitheton; quum illa corpori apta esse debeat, itaque pro corporis habitu latior vel angustior sit? Adiectivum illud mihi suspectum est, sed quod reponam non habeo certum. Nam quod statim se offert *lauta* vix de lorica dici potest; quod autem optime loricae conveniret *levis* (ut e VIRGILIO cognovimus »*levibus* hamis consertam loricam") nimis a codicum scriptura recedit. Fortasse acquiescendum in HULLEMANNI emendatione satis leni: »cum illa *late insigni* lorica."

§ 71. CICERO tenuiorum operam in petendo et adsectationem male a Catone reprehendi monet, quoniam hoc unum sit, quod candidatis tribuere possint. Qua in re utitur hoc argumento: »Si nihil erit praeter ipsorum suffragium, tenue est: »si ut suffragentur, nihil valent gratia. Ipsi *denique* cet." In HALMII editione videantur, quae ipse, MOMMSENUS, KAIJSERUS »in loco perobscuro" tentaverint. Mihi LAMBINUS aliique recte scripsisse videntur, vitiose distinxisse. Ponamus post *tenue est* minimam distinctionem. Ita priori conditioni »si nihil erit »praeter ipsorum suffragium" altera subiicitur »si nihil va»lent gratia ut suffragentur" i. e. ad suffragandum. (Cf. MADV. *ad Fin.* p. 332). Altera non est otiosa. Nam aliud est alicui *tribuere suffragium suum*, aliud *suffragari.* Illud semel fit in comitiis, hoc multo latius patet, estque adiuvare petentem, multorum suffragia ei conciliare. Satis erit exempli causa proferre *Off.* I. 138, ubi splendida domus, quam Cn. Octavius in Palatio aedificarat, *suffragata* domino ad consulatum narratur. Alia collegit BAKIUS *ad Cic. Leg.* p. 639. In iis, quae continuo sequuntur, accurata argumentatio postulat, ut pro »Ipsi *denique*" corrigatur »Ipsi *enim* — non dicere pro nobis, »non spondere, non vocare domum suam possunt."

In epilogo § 87 HALMIUS edidit: »Atque ita vos L. Murena, »iudices, orat atque obsecrat, *ut*, si — fuit, sit apud vos

»modestiae locus, cet." e coniectura addens *ut* post *obsecrat.* Non dicam eodem aut maiori iure post *fuit* illam particulam collocari posse, citans hac in re simillimum locum ex *Orat. p. Rosc. Am.* § 144; hoc dico STEINMETZIUM bonos codd. secutum, quibus nunc accedit G., vere restituisse: »Atque ita vos *si* »Murena — orat cet."

Omitto paucos locos, de quibus si sententia mea ferenda esset iurarem mihi non liquere, ut breviter ostendam multa in hac oratione legi, quae vel parum percepta vel minus recte explicata sint, quorum certe explicationem frustra quaeras in commentario P. MANUTII et in editione orationum VII, quam in usum scholarum AUG. MATTHIAE iterum paravit *Lipsiae* 1826. Aliis autem in hac re ducibus uti mihi quidem non licuit.

Quo maior utriusque interpretis est auctoritas, vera doctrinae laude parta, eo magis cavendum est, ne ab iis in errorem induci nos aliosve patiamur. Ad verba § 8 »hominis — »*causam tanti periculi*" MATTHIAE monuit »i. e. causam e tanto »periculo ortam." Scribere debuit: »causam cum tanto peri»culo coniunctam." Periculum enim oriebatur e causa, non contra. Itaque *tanti periculi* est genetivus qualitatis. — Rursus errat idem verba haec: »*Quaestura utriusque propemodum* »*pari momento sortis fuit*" e § 18 ita interpretatus: »sors »dedit utrique propemodum aequalem provinciam sc. Italicam." Sententia vero haec est: »in quaestura gerenda sors neutri »propitia fuit, *nullum*" iis »*sors campum dedit, in quo ex-* »*currere virtus cognoscique posset.*" Recte MANUTIUS adscripsit haec ipsius CICERONIS verba. Sequuntur verba obscura, quibus mentio fit *legis Titiae.* ORELLIUS in *Ind. Leg.* p. 284 sq. recensuit varias de ea lege opiniones, quarum nullam probabilem existimo. Certissime falluntur, qui legem Titiam agrariam a. 654 latam respici putent. Nam decretum collegii augurum legem non iure rogatam mox sustulerat. Vid. CIC. *Leg.* II. § 31. Legem autem de XX quaestoribus in tabula aerea servatam et saepius editam, ultimum in *Delectu inscript. Rom.* ZELLIANO n. 1681, non esse partem legis Titiae, ut GÖTTLINGIUS coniecit, bene defendit G. A. BECKERUS *Ant. Rom.* II. 2, adn. 869. At MANUTIUS hoc recte vidit hic non tam dicendum fuisse, qua lege, sed qualis provincia Murenae sorte con-

ligisset. — In ultimis verbis § 25 antiquiores interpretes *notas* a Ictis compositas utcunque explicare maluerunt, quam ignorantiam suam fateri. Quam vani fuerint eorum conatus, non est quod doceamus, postquam NIEBUHRIUS certis codicum vestigiis insistens restituit: »*verba quaedam* composuerunt." Nondum satis hoc visum est RAVIO, qui *Var. Lect.* I. p. 14 sq. insigni audacia coniecit: »*nova carmina clam* composuerunt;" etiam nimis nuper MOMMSENO, qui quum paulo ante in codd. pro *lege agi* solum *lege*, hic vero in cod. G. nihil nisi »*acce*»*dam* composuerunt" invenisset, a CICERONE scriptum putat: »— *lege posset agi*, *quaedam* composuerunt." Male *verba* hinc expelluntur, quae non solum palaeographicis rationibus confirmantur, sed aptissime nominantur. In legis actionibus, quae ita vocatae sunt, quia ipsarum legum verbis accommodatae erant, res agebatur *verbis legitimis*. GAI. IV. 11. Exempla eiusmodi verborum dabit idem Ictus IV. 16, 21, 24. *Verbis* autem ita inhaerebant, ut propter nimiam subtilitatem deinde *per concepta* a praetore *verba*, *id est per formulas* litigari coeptum sit, ibid. 30. — Sine causa vetus formula actoris »inde ibi ego te ex iure manum consertum voco," in § 26 a CICERONE ob verbositatem derisa, negotium creavit interpretibus. *Inde ibi* neque *in eum locum* designat, ut MATTHIAE putabat a GRAEVIO inductus, neque idem est, quod *inibi* aut *indidem*. Sua utrique adverbio vis constat. Sententia est: ex hac causa in eo loco ut mecum manum conseras ego te hinc ex iure i. e. a praetore voco. Similiter in formula, qua adversarius utitur »unde — inde" dicta sunt pro: »qua ex »causa — ex ea causa." — Quanta difficultate laboret locus, § 47, ubi CICERO enumerat, quae a Servio in nova lege ambitus flagitata senatus repudiavit, docere possunt, quae e GARATONII commentariis in *Indice legum* ORELLIANO p. 218 sq. et in RINKESII *disp. de crimine ambitus* p. 119 seqq. leguntur. *Confusionem suffragiorum* MANUTIUS bene explicuit, vereque alii defenderunt *prorogationem legis Maniliae*, *aequationem gratiae*, *dignitatis*, *suffragiorum* non dici nova capita rogationis Servianae, sed invidiose his describi illam suffragiorum confusionem. Illud maxime ambiguum erat, quomodo CICERO legis Maniliae a. 687 latae, sed Scto sequenti anno abrogatae renovationem

appellare potuisset *prorogationem legis Maniliae.* Non poterat facilius meliusve ille scrupulus evelli, quam factum est ab HALMIO, qui MOMMSENI monitu edidit *perrogationem l. M.*, quo ducunt plures iique meliores libri, qui praebent *prerogationem.* Est illud quidem vocabulum novum, sed nihil obstat quominus a CICERONE fictum dicamus, quum de legibus *ferri* et *rogari*, *perferri* et *perrogari* in usu essent. Cf. KEMPFIUS *ad Val. Max.* I. 2, Ext. 1. — Oratio in § 48 hiat editorum culpa, qui quum non animadverterent id quod verbis »Atque ex om»nibus illa plaga est iniecta petitioni tuae — maxima" inchoatum esset, multis interpositis interrumpi, deinde, ut fit, sub alia dicendi forma repeti et absolvi sic: »sed tamen quam »te securim putas iniecisse petitioni tuae," quod particulae *sed tamen* satis declarant, quae arctissime cohaerent, male divellerunt, quin etiam a verbis *sed tamen* novum caput inceperunt. Sublatis distinctionibus post *maxima* et *satietati* illa omnia: »de qua ab homine — occurro vestrae satietati" a reliqua oratione separanda sunt. — Quae CICERO dixit de Postumii Serviique filii criminibus non intercidisse, sed in oratione edita ab ipso omissa et solis titulis indicata esse, testimonio PLINII *Ep.* I. 20 constat. Sed quae proxime praecedunt illam partem orationis in § 57 aliter accipienda videntur, quam a MANUTIO et MATTHIA, si brevem huius admonitionem recte intelligo, factum est. P. Postumius studio accusandi Murenam ductus a praeturae petitione destiterat. Quod postquam CICERO lepida comparatione vituperavit, haec addit: »Cuius com»petitores si nihil deliquerunt, dignitati eorum concessit, »cum petere destitit: sin autem eorum aliquis largitus est, »expetendus amicus est, qui alienam potius iniuriam quam »suam persequatur." Ultima illi sic acceperunt, quasi Postumius deberet expetere amicum, qui iniuriam a competitore Postumio illatam persequeretur potius quam suam i. e. sibi illatam. Non placet tam contorta et longe quaesita explicatio. Mihi *expetendus amicus* est Postumius, dignus quem alii amicum sibi habere vellent, quum *alienam iniuriam* i. e. iniuriam Servio consulatum petenti illatam persequi mallet, quam *suam* i. e. quam eam, quam competitor aliquis largiendo ipsi intulisset.

Antequam manum de tabula tollo, iuvat proferre suspiciones quasdam, quibus lacunas in § 72, 80, 85 expleantur. Non is sum, qui divinando quid perierit vere assequi et resarcire me posse putem; sed lectores rogabo, ut benigne hunc lusum ingenii adspiciant, quantumque velint ei tribuant. HALMIUS optimos libros secutus § 72 extr. edidit: »Haec homines »* * * a suis tribulibus vetere instituto assequebantur * * *.” Quae vero notantur e deterioribus »haec homines *tenuiores* »*primum nondum qui ea* suis cet.” minime repudianda videntur, sed vestigia verae scripturae conservant. C. F. HERMANNUS in *Musei Philol. Bonn.* Vol. VI. p. 451 satis licenter inde extricavit: »Haec hom. ten. *primum*, *mox reliqui a* suis trib. »vet. inst. assequebantur.” Forsitan mea restitutio probabilior iudicetur: »Haec hom. ten. *praemia donaque a* suis cet.” Initio sequentis sententiae supplendo non spernenda excogitavit MOMMSENUS *de colleg.* p. 56, quae HALMII adnotatio continet.

In ea sententia, quae legitur § 80 »Nolite arbitrari mediocribus consiliis aut usitatis viis aut * * *,” pauca periisse verisimile est. Sententia non respuit haec: *alienis copiis rem publicam oppugnari.*

Paulo plus, si librario cod. Monac. fides habenda est, spatium duorum versuum in litura § 85 cubat, ut fere cogamur obtemperare Hippocrati desperatis medicinam adhibere vetanti. Sed qui semel verecundiae fines egressus est, quo non prorumpit! En, quid mihi in mentem venerit librorum ductus rimanti: »*Nunc* iam, qui impedituri sint *comitia*, *parati sunt.* »*Mox* illa pestis *imminebit*, *manus* importuna Catilinae prorum»pet, qua poterit, et *vim* populo Romano *minabitur*, in agros »cet.” In his, ut suum cuique reddatur sive bene sive secus inventum, *minabitur* e cod. Palat. est, verba *parati sunt* LAMBINO, *manus* HALMIO, cetera mihi debentur. Tu, amice lector, *si quid novisti rectius istis, candidus imperti: si non, his utere mecum.*

Scr. *Amstelodami* m. *Aprili* extr. I. C. G. BOOT.